

1
1
20
21
22
23
24
25
26
27
28



1679.

19. Müllerus, Petrus : De eo, quod iustum est circa missa-
2 a cordiam .
- 20^{a. b.} Müllerus, Petrus : De interstitio praediorum .
2 Sump. 1679 : 1713
21. Müllerus, Petrus : De causis Honorum . 8 d. 3. 1715 .
- 22^{a. b. c. d.} Müllerus, Petrus : De literis amatoriis
4 Sump. 1705, 1713, 1717, 1735 .
- 23^{a. b.} Müllerus, Petrus : De odio secundarum nuptiarum .
3 Sump. 1679, 1737 : 1747 .
24. Roth, Henric. Baeth, Facult. iur. decanus : ad
disputationem in ang. Bernhardi Bergneri iuristae
25. Roth, Henric. Baethas : De vini usui legato .
- 26^{a. b.} Roth, Henric. Baethas : De laudemis . 2 Sump.
- 27^{a. b.} Roth, Henr. Baethas : De potestate domini territorii
et relativa subditorum obligatione
28. Sagittarius, Caspar : Historia antiqua liberae atque
Imperialis civitatis Norimbergae

1679.

29. Simon, Joh. Georg: Jura emigrandi...

30. Simon, Joh. Georg: De denegatione alimentorum

31. Struvius, Georgius Adamus: De unione prolium...


32. Struve, Georgius Adamus: De administratione rerum
ad civitates pertinentium.


33^{4^{te}} Struve, Georgius Adamus: De dolo bono advocati

2 Sumpt. 1679 : 1698.

34. Struvius, Georgius Adamus: De beneficio competentiae

35. Struve, Georgius Adamus: De litis contestatione





2950. 1679 26 a 14 JL
SUMMO. NUMINE. AD JUVANTE.

ET.

ILLUSTRI. ICTORUM. ORDINE. IN. CELE.

BERRIMA. UNIVERSITATE. SALANA.
SUFFRAGANTE.

DISSERTATIONEM. HANC. INAUGURALEM.
JURIDICAM.

DE

LAUDEMIIS.

P R Æ S I D E.

DN. HENRICO. BALTHAS.

ICHTO. CONSILIARIO.

SAXONICO. ET. SWARTZBURGICO. CURIAE.

PROVINCIALIS. SCABINATUS. AC. FACULTATIS.

JURIDICAE. ASSESSORE. AC. PROF. PUBL.

FAMIGERATISSIMO.

DN. PATRONO. ET. PROMOTORE.

SUO. COLENDISSIMO.

PRO. LICENTIA.

SUMMOS. IN. UTROQUE. JURE. HONORES.

AC. PRIVILEGIA. DOCTORALIA. RITE. ET. LEGITIME.

CONSEQVENDI. PUBLICE. EXAMINAN-
DAM. PROPONIT.

JOHANNES. NICOLAUS. HOYER.

LONGO-SALISSANUS.

AD. D. DECEMBR. AO. cl. lsc. LXXIX.

JENÆ, Typis JOHANNIS WERTHERI.

VIRIS.
GENEROSIS. AC. MAXIME. STRENUIS.
PERANTI QVI. GENERIS. SPLENDORE.
EMINENTISSIMIS.

D N N.

JOHANN von Seebachen.

ET. Klein Jörn
AB. Dppershausen. ET. KleinJahner. *Goußbach*
CHRISTOPHORO, CASPARO.

Goldackern.

AB. Uffhofen. *ET.*

JOHANN. GEORGIO. von
Seebachen.

A. GroßJahner. Dppershausen. ET.
KleinJahner. *Goußbach. ET. Klein Jörn*

DNN. MOECENATIBUS. ET.
PROMOTORIBUS. SUIS. OMNI.
HONORIS. CULTU. PROSEQVENDIS.

Hanc Disputationem Inauguralem

L. M. Q.

offer

AUTOR.



I. N. D. N. J. C.

TH. I.



Um nemo res probè intelligat, nisi verba, à quibus præprimis ordiendum, cum per illa res ipsa significetur, prius cognoverit: *l. 1 in pr. ff. d. I. & I. l. 1. ff. d. Reb. credit*: adeoque sicut rerum potior est cognitio, ita & verborum sit interpretatio, oportet, *Decianus in tr. d. crim. lib. i. c. 13. num. 1.* Itaque priusquam ad ipsam Laudemii definitionem perveniam, vocis derivationem & significationem præmittere, necessarium esse duxi.

TH. II.

Vocem autem Laudemii à laudando, quod priscâ linguâ nominare, seu appellare denotat, vid. *l. tenetur. 6. §. 1. d. act. emt. Gell 2. Noct. Attic. 6. 6.* dictam esse, seu ut Dominus novum Emphyteutam vel vasallum laudet, agnoscat, & recipiat, testis est *Bursatus. Cons. 137. num. 23. L. 2. Andr. Knich: d. pact. vestit. p. 2. c. 4. n. 156.* vel quod in laudationem & recognitionem Domini solvatur, vid. *Dn. Frantz. k. in eleganti tr. d. Laudem. c. 1.* vel quod approbet contractum, sive personam novam nominet. *Wesenb. p. 1. Cons. 16. num. 11.* Hinc etiam dicitur laudativum. *Hartm. Pistor. l. 1. q. 50. num. 30.* Alii vocem hanc purè esse Longobardicam asserunt, vid. *Joh. Loccen. expli. voc.*

A 2

feudal.

feudal. & Laudimium vel leudimium dictum à leude. Leudi vero lidi, ludi (variè enim scribebatur,) erant homines subjecti, obedientes. *Specul. Sax. L. 1. art. 52. Confer. Magnif. Dn. Struv. S. I. F. c. 10. §. 12. n. 1.* Et hæc sufficiant de Etymologia hujus vocis Laudemium.

TH. III.

Nec minus etiam aliis effertur nominibus, vocatur enim aliàs RELEVIVM, quod propriè illud est, quod solvitur, quando moritur vasallus ab ejus heredibus. Et ad hæc Relevia potest revocari illud onus, quod Juliacensi idiomate, *Curmede* dicitur, quod præstatur, vel de rebus animatis, quo casu si defunctus reliquit filium successorem, ille ex equis, bobus &c. habet optimum, Dominus verò accipit secundum, & vocatur, *lebendige Curmede*. Vel ex inanimatis, v. gr. vestimentis, quo casu simpliciter dicitur *Curmede*. *Knich. d. pact. vestit. p. 2. c. 4. in fin. Besold. Thes. pract. voc. Curmede.*

TH. IV.

Vocatur etiam INTROITUS, quòd pro intratura solvatur. *Amed. à Pont. q. 1. num. 8.* Hinc videre licet, quod in multis regionibus & civitatibus usu obveniat, si quis officialis declaretur, aut si rusticus à Nobili in subditum recipiatur, solvere debeat, *Aufnahmgeld / Auffarth /* iterumque si abscedat *Abfarth / Abzug / Abschoss / Auslösung / Berlich. p. 3. Concl. pen. & ult. Rauchb. p. 1. q. 15. & 16. Becht. d. securitat. cap. 4. concl. 85.* Cæterum, Germanica lingua Laudemium vocamus *Lehn-Beld / Lehn-Wahr /* ab investitura, quam *Lehnung / Belehnung* nominamus *Knich. d. l. n. 144. It. Handlohn: vid. Wehner obs. pract. v. Handlohn: Add. Amed. de Pont. d. q. 2. p. tot. Frantzck. d. l. n. 23. ibique relati alii.*

TH. V. His

TH. V.

His ita præmissis, quid tandem Laudemium sit, erit definiendum. Definitiones autem variæ traduntur à Doctoribus. *Matth. Coler. Decis. Germ. 33.* sic definire videtur, quod de J. Civil. Laudemium sit quinquagesima pars pretii, quod solvit emptor domino prædii à quo recognoscuntur in Emphyteusin, pro inscriptione & receptione novi Emphyteutæ *l. fin. §. 3. C. d. Jur. Emphyt. Hartm. Pistor. l. 1. q. 50. n. 2.* dicit, Laudemium esse illud, quod solvitur domino directo, quando in alium transfertur Emphyteusis, à novo possessore honorarii loco, pro nova investitura & receptione novi Emphyteutæ, veluti in recompensationem ejus damni, quod dominus ex immutatione personæ sentire potest. Alii aliter definiunt inter quos etiam *Dn. Frantzk. d. tr.* Puto tamen in genere sic esse definiendum; quod sit certa pecuniæ summa ratione pretii rei æstimari solita, debita ex alienatione perfecta rei laudemialis domino, qui Jus laudemiandi habet, solvenda pro investitura, ab eo, qui rem accipit: quæ definitio fundamentum habet *in l. fin. C. d. Jur. Emphyt. & usu forensi.* Sciendum tamen hic non esse descriptum Jus ipsum laudemiandi, sed potius Juris effectum. Jus autem ita describi poterit, quod sit facultas percipiendi illam certam summam, ex rebus laudemialibus alienatis à novo possessore, domino, ad quem res laudemialis pertinet, competens.

TH. VI.

Sequitur nunc Laudemii divisio. Dividitur autem secundum *Magnif. Dn. Struv. S. I. F. cit. l. in Majus hohe Lehnwahr / & Minus kleine Lehnwahr.* Illud propriè meretur nomen Laudemii: & iterum vel simplex, quod in bonis Ecclesiasticis hereditariæ recognitionis,

A 3

est

est quinquagesima pars pretii, nempe quando de singulis 50. flor. unus, & in singulos centenos duo sunt solvendi: In bonis Emphyteuticis civilibus verò, est vigesima pars pretii nempe quando quinque de centum solvendi, vide *l. fin. C. d. Jur. Emphyt. Coler. Decis. 33. n. 4.* Vel duplex, quod est in bonis civilibus decima pars, quando X. pro C. solvuntur: In Ecclesiasticis verò IV. pro C. præstantur. *Frantzk. d. tr. c. 3. n. 8. & seqq. Conf. Dn. Adrian. Beier ad Schultz. synopsis. Instit. tit. 24. l. 3.* Hoc, videlicet Minus, abusivè dicitur laudemium, & est honorarium aliquod, non tam domino, quàm præfectis, aliisve ministris, pro confectione literarum investituræ solvendum. *Schreibschilling. Frantz. d. l. n. 13. B. Dn. Richt. Decis. 83. num. 133.* Deinde etiam dividendum in Conjectum, die gesammte Lehnwahr. & Separatum die sonderbahre Lehnwahr. *vid. Coler. p. 1. Decis. 33. num. 41. Frantzk. d. tr. c. 8. n. 118.*

TH. VII.

Originem & causas nunc percurrere & ordo postulat, & consueta tractandi Methodus. Origo & onus Laudemiorum est ex Constitutione Justiniani *in l. fin. C. de Jur. Emphyt.* Illud rebus Emphyteut. imposuit *vid. supr. th. 5.* id quod se extendit quoq; ad censitica & censualia, vulgò: **Baur/ oder Erbgüter/** propter summam quam habent cum Emphyt. affinitatem, ita, ut eorumq; differentia non facilè possit cognosci, nisi ex Instrumento. *Frantzk. c. 4. n. 45.* Hinc quæritur, quid de feudalibus bonis dicendum. Et sciendum quod de Jure Comm. Feudal. de feudis non exigi possit laudemium; In Feudis enim investitura gratis facienda, *Schneiderv. d. Feud. p. 5. num. 61. Hartm. Pistor. p. 1. q. 50. num. 61.* cum sit beneficium & detur ex benevolentia: *2. Feud. 23. c. 1. §. & quia videmus.* ast beneficio
nihil

nihil magis contrariatur, quàm ut redimatur pretio: hinc feudum non sub prætextu pecuniæ, sed amore & honore domini est acquirendum. *Hartm. Pistor. d. l. num. 63. Gardin. Tusch. vol. 5. lit. L. concl. 15. in fin.* Cum autem à consuetudine tota ferè materia Laudemiorum dependeat, & ab ea extendatur, qualificetur & limitetur, modò sit sub quantitate moderata inducta: hinc dicimus nullum deberi Laudemium, nisi peculiari consuetudine receptum probetur, idque observantia tam Fori Communis quàm Saxon. confirmat, ut sc. talis præstatio in feudis ut talibus regulariter cesset, teste *Schneidevv. d. l.* Allein daß man aus der Canzeley die Lehnbriefe lösen muß / und nicht dem Herrn / sondern der Canzeley / etliche Gilden gibt / welche man auch pflegt Lehnwahr zu nennen / ist tamen abusive; quia aliàs verum Laudemium ipsi domino directo solvitur. *Wehn. Obs. pract. v. Handlohn. col. 2.*

TH. IIX.

Nunc redeo ad causas, & primum de causa efficiente, quæ vel remota est vel propinqua. Remota est Jus, & illud vel scriptum, vel non scriptum. Causa autem propinqua est ipsa Investitura ab investiendo dicta, quod qui feudum accipit, quasi vestimento quodam induatur, non secus qui feudo privatur, devestiatur h. e. veste illa exuatur. *Vultej. de feud. cap. 7. n. 5. in pr.* Causa finalis est vel principalis vel minus principalis. Principalis est ipsa domini recognitio: Minus principalis verò est compensatio exiguitatis in canone seu pensione, quæ regulariter solvitur domino. *Coler. d. D. 33. in pr. Wesenb. d. Cons. 16.*

TH. IX.

Præmissis generalioribus, transitum facio ad specialiora in quibus attendendum, Quid, & quantum, A
quo

quo, Cui, in quibus casibus solvendum & tandem quâ actione, & coram quo Judice illud sit petendum. Notandum autem præprimis est, quod alia quantitas sit de Jure communi, alia verò de consuetudinibus. Primam quod concernit, supr. dict. quod sit quinquagesima pars pretii vel æstimationis rei Emphyteuticæ alienatæ, ad compescendam hominum avaritiam, uti constat *ex l. fin. C. d. Jur. Emphyt.* ita ut teste *Coler. p. 1. Decis. 33. num. 1. de singulis. L. flor. unus, & in singulos centenos II. flor. Laudemii nomine sint solvendi. De Consuetudine verò interdum plus, interdum minus penditur. Hinc moribus Saxonix, Thuringix & Franconix plerumque vigesima pars seu quinque de C. solvi solet. Col. decis. 33. num. 3. Carpz. p. 2. C. 39. d. 12. qui etiam ita pronunciatum asserit in causa Henric. ab *Holzhausen* anno 1620. *Nobiliss. Dn. Joh. Volckm. Bechm. in Ex. Exot. 9. ad lib. 2. Feud. Tit. qui test. sint necess. ad nov. invest. prob.* ubi notanter tradit, quantitatem laudemii in dubio hodiè determinandam esse ex recepta consuetudine, juxta *Hartm. Pistor. lib. 1. q. 50. num. 62.* ubi autem consuetudo deficit recurrendum ad Jus provinciale: *Jd. d. l.* quòd si verò etiam hoc nil certi statuatur, Jus Commune quantitatem laudemii determinare in dubio debere, dicit.*

TH. X.

Sequitur nunc subjectum A QVO: Qui ergo per investituram dominus rei titulo singulari factus, solvere tenetur Laudemiū, cum juxta plurimorum Dd. sententiam laudemium sit onus reale, quod rē ipsam sequitur: tales autem sunt, novi Emphyteutæ, Vasalli, Censuarii, & omnes illi, qui non sunt in prima investitura comprehensi: comprehensi autem non censentur, nisi qui sine facto hominis, vi solius legis & titulo universalis defunctum representant
inque

inque omnia Jura tam activè quàm passivè succedant.
Col. decis. 33. num. 31. Id quod etiam approbarunt Jcti
Lipsi. in sent. post *L. N.* sub tit. vom *Lehnwahr.* ver-
zum andern. Ex his apparet quod possessor novus etiam
laudemium ab antecessore adhuc debitum, exsolvere te-
neatur: *vid. l. 25. in pr. ff. d. O. & A. l. 12. C. d. distract. pign.*
cùm res transeat cum onere, & tributa, census, collectæ
aliaque onera realia necessariò sequantur prædium, ut
hoc sine illis nec vendi nec comparari possit: *l. 2. in fin.*
C. sine cens. & reliq. fund. compar. non poss. id quod etiam
comprobat *Decis. Elector. 65.* & hoc maximè procedet, si
vi consuetudinis receptæ laudemium pro onere reali re-
putetur, prout respondit olim Facultas Jurid. hujus Aca-
dem. ad Consult. Illustr. Comit. Ludov. à *Gleichen/ ibi.*
Daß Vermöge angezogener Gewohnheit ic. *vid. Frantz.*
cap. 17. num. 135. adeò ut secundum communem Dd. opi-
nionem domino directo in fundo Emphyteutico ratio-
ne laudemii tacita competat hypotheca, ita, ut novus pos-
sessor etiam ad Laudemia ab antecessoribus seu præce-
dentibus possessoribus debita exsolvenda, actione hypo-
thecariâ compelli possit *Amed. a Pont. quest. 45. num. 5.*
Menoch. Conf. 444. n. 15. l. 5. Contrariam tamen opinionem
rationi Juris magis convenientem esse docent *Petrus*
Surd. Decis. 31. per tot. & alii, cùm Juris notissimi sit, quod
tacita hypotheca nunquam censeatur inducta nisi ex-
pressâ lege cautum inveniatur: *l. 1. C. comm. d. Legat. l.*
fin. C. d. pact. convent. l. un. §. 1. d. rei uxor. act. l. 6. fin. C.
d. bon. qua liber. Jàm vero pro laudemii obligatione nul-
la lex unquam extitit, quæ tacitam introduxerit hypo-
thecam, ergò id non debet nova inventionione induci, ait
jam relatus *Surdus d. l. n. 9.* quæ sententia de Jur Civ. ve-
rior. Secus tamen de Jure consuetudinario, cum quicquid

B

lex

lex potest, possit etiam consuetudo, ceu lex non scripta, legem scriptam vincens *l. 32. ibique DD d. LL. & de tali consuetudine ferè universali testantur Magnific. Dn. Struv. S. J. F. cap. 10. §. 17. n. 13. Carpzov. p. 1. C. 28. d. 53. quæ tamen omnia cum grano salis intelligenda, & tenentur etiam posterior possessor solvere laudemium quod debuit prior, modò in exigendo Magistratus apud priorem debitorem non fuerit negligens. Berlich. Concl. 64. n. 112. add. Magnific. Dn. Struv. Decis. Sabbath. 30. Hinc porrò constat, Laudemiorum onus non ad venditorem, sed ad emptorem seu novum possessorem, qui novâ opus habet investiturâ & recognitione, pertinere, arg. *l. 27. in fin. ff. d. Ædil. Edict. l. fin. §. ult. C. de Jur. Emphyt. Coler. Decis. 33. num. 4. Dan. Moller. 4. Semestr. cap. 4. num. 1. Etiam si venditor per pactum hoc onus in se susceperit. Pinell. in l. 1. C. d. bon. mater. p. 2. num. 72. pactum enim saltem inter paciscentes valet, ad tertium verò non consentientem se non extendit. *l. 24. d. pact.* Emptori tamen hoc puncto adversus venditorem datur regressus. *Dn. Frantzk. d. tr. cap. 16. num. 118. & ita tota die pronunciari solet, cum moribus hodiernis plerumque certâ solet pactione exprimi, ad hunc vel illum contrahentium onus solvendi laudemii pertinere. Matth. Webn. obs. pract. verb. Lehnwahr.***

TH. XI.

Sed quæritur quid tunc obtineat, quando venditor emptorem de onere laudemii non fecit certiorum, an adhuc teneatur? Et resp. *B. Carpzov. p. 2. C. 39. def. 33. distinguendo inter scientem & ignorantem. Sciens rem esse subjectam oneri laudemii omninò solvere debet, etiam non certioratus, quid enim opus erit certioratione apud scientem? Secus in ignorante. arg. *l. quæro. 58. de Ædil. edict.*
Alex.*

Alex. Conf. 14. num. 8. vol. 5. sed quisnam probare debet, alterum scivisse vel ignorasse hoc onus? Rf. Ei, qui se fundat in ignorantia, probatio incumbit, *arg. l. sicut 39. X. d. sent. excom.* Cautus igitur advocatus omni modo allegationem scientiæ vel ignorantiae vitabit, ut hoc onus probandi in adversarium devolvat.

TH. XII.

Nunc quoque videndum de SUBJECTO CUI, quibus sc. laudemium sit solvendum. Solvitur ergo recte domino Laudemiali directo, qui universam rei utilitatem alii concedendo Jus directi dominii sibi reservavit. Sed quid si usufructus alteri sit constitutus? Tunc laudemia non proprietario sed usufructuario deberi, putant DD. *Hartm. Pistor. p. 1 q. 50. n. 1. Dan. Moll. L. 4. Semest. cap. 5. n. ult. Frantzk. cap. 7. num. 63.* Cujus autem ratio non in eo posita, quasi laudemium persolvatur pro consensu, sed in eo, quia ad usufructuarium spectant omnes proventus, non saltem fructus ex re seu fundo, verum etiam obventiones omnes, & quicquid inde percipi potest: *per l. 7. l. 59. §. 1. de usufr.* etiam pensiones & redditus civiles. *l. 28. l. 41. ff. d. Usufr. Legat. Decian. Respons. 35. n. 52. vol. 2.* ubi dicit, quod appellatio usufructus omnes & universas utilitates & emolumenta quæ quoquo modo vel ordinariè vel extraordinariè percipi possunt, ex re in quâ usufructus debetur, contineat. Sed & hæc non sine salis mica intelligenda sunt: Sciendum igitur, quod illa Jura ex feudis & Emphyteusibus in duplici sint differentia. Alia nempe honoratiora, quæ respiciunt ipsam potestatem dominantem dominii directi, qualia sunt, honores, fidelitates, investitura & recognitio. Alia autem pecuniaria, commodum quoddam pecuniarium adferentia. Illa in fructu propriè nullo sunt

ad hoc, ut possint alienari aut alicui cedi, nam si hoc fieret, ille cui concederentur, plenum consequeretur dominium, & alter nihil retineret: Hæc autem cum aliud nihil sint, quàm usufructus, quem vocant causalem, benè separari & in fructu esse possunt. Unde nec usufructuarius proprio nomine ullam investituram facere, nec dominus, etiamsi velit, hoc ipsi, salvò suò jure, concedere potest. *Benè & late vid. Carol. Molin. Consuetud. Paris. tit. 1. §. 1. gloss. 1. num. 11. 19. 22. & seqq.*

TH. XIII.

Siforsan plures sint domini feudum dominans vel directum dominium in commune possidentes, non plura sed unum Laudemium debetur, quia instar unius domini habentur. Et licet ab omnibus investitura peti debeat, ab uno tamen omnium nomine potest expediri. *Erantzk. d. tr. cap. 7. num. 135.* Et laudemium, cum in pecunia constet, unicuique pro parte vel portione debita præstari potest. *Amed. a Pont. qu. 23. Demerath. de Laudem: cap. 6.* qui dicit, necesse esse, ut, si duo pluresvè sint domini communes unius laudemialis rei, is qui laudemium debet, vel omnibus simul, vel uni ex mandato aliorum, vel singulis suam solvat partem, alioquin ipsum non satis esse securum adversus omnes. *add. B. Dr. Richter. Decis. 83. n. 21.*

TH. XIV.

Tantum de subjecto laudemiorum, Quis sc. solvat & Cui solvendum. Porrò ad objecti formalis considerationem pertinet, quomodo in singulis mutationibus laudemium sit solvendum. Sciendum autem, quòd omnis mutatio & alienatio contingat vel ex parte domini, vel ex parte vasalli, Emphyteutæ, aut Censuarii: utraq; autem sit vel necessaria vel voluntaria. Hinc ponenda regula

gula : quòd ex voluntaria tantùm alienatione, non etiam ex necessaria laudemium regulariter debeat. *Amed. a Pont. qu. 25. & 26.* unde est quòd apud DD. receptum, legem de alienatione loquentem, intelligi de alienatione voluntaria non item necessaria *l. 1. ff. d. Fund. dotal. l. 13. fam. herisc. l. 5. in pr.* Est autem voluntaria alienatio, cujus principium est in nobis ; Necessaria verò, cujus principium extra nos consistit, sed vel casu fortuito vel natura vel lege ita disponente movetur. Hinc *Menoch. triplicem facit necessitatis speciem, L. 2. cent. 2. qu. 182. n. 21.* fatalem scilicet, naturalem & legalem, de quibus vid. *sis Dn. Frantz. in d. tr. c. 16. n. 7. cum seqq.*

TH. XV.

Sit ergo nobis prima & palmaria alienationum species respectu vasalli & Emphyteutæ, quæ fit per venditionem, in quâ laudemii præstationem obtinere, nemo est qui negabit, cum de illâ potissimum agat. *l. fin. C. d. Jur. Emphyt.* Et sufficit ad hoc, ut in hac alienationis specie debeat laudemium, si ab initio venditio causam habeat voluntariam, etiamsi necessitas postmodum illam urgeat. Hinc etiam ex venditione sub hasta laudemium haut injustè petitur, cum vera species sit alienationis & vera etiam venditio, in qua reperiuntur substantialia hujus contractus, consensus scilicet, merx & pretium, quæ constituunt hoc negotium, unde ex eâ non minus Laudemia debentur, atque ex aliâ quâvis venditione. *Dan. Moll. 4. Semestr. c. 5. Molin. d. Conf. Par. §. 77. n. 20. & seqq. Peregr. 6. d. Jur. Fisc. Carpz. p. 2. C. 39. d. 17.* ubi ait, ita pronunciatum fuisse in Scab. Lipsi. anno. 628. in causa *Hauß Friedrichs von Hausen. Conf. B. Dn. Richt. Decis. 83. n. 59. & 60.* Haud igitur obest, quod quædam subsit necessitas in hac venditione : quoniam, uti dictum, initium in-

spiciendum, & sufficit quòd illa ex voluntate debitoris, rem oppignorantis vel debitum sponte contrahentis, originem trahat, *arg. l. 17. §. 3. Commodat. l. 36. ff. d. Judic. l. 7. §. 1. qui satisd. cog. nec in ejusmodi negotiis tam actum causatum quàm causantem esse inspiciendum, communis pragmaticorum regula docet.*

TH. XVI.

Quod autem in th. præcedente dictum, emptorem sub hasta ad præstationem laudemii esse obligatum, restrictionem admittit. Fallit igitur in debitore, qui bona sua creditori suo adjudicata jure reuisionis redemit, non enim iste laudemium domino præstare tenetur: Ratio in eo sita est, quod reuisionis non ex nova aliqua causa fit, sed ex necessitate & causa aliqua inhærente primæ venditioni, cui dominus simul consentit, ut sic in reuisione ejus consensum de novo requirere necessum non sit. *Dan. Moll. l. 4. semestr. 3. num. 2. & 4. Carpz. p. 1. C. 32. d. 57. per tot. & in Process. tit. 25. art. 5. num. 53. & seqq. Hartm. Pistor. p. 1. q. 40. num. 22. & sic in Scab. Lips. in causa Joh. Stieffels zu Salza: fuisse pronunciatum, testis est Joh. Philipp. c. 4. comm. 13. d. Subhastat. Quemadmodum autem debitor jure reuisionis pignus creditori assignatum redimens ad refundendas ei meliorationes & impensas omnes necessarias, quas possessor fecit, imò ad restitutionem nummorum bibalium Weinkauff/ (moderatorum tamen) obstrictus est, per text. *Ordin. Torgens. d. anno 1583. tit. vom Feilbiethen/ §. damit auch der Schuldiger / verb. so soll auch auf den Fall; Ita quoque laudemium, quod pro confirmatione emptionis venditionis sub hasta domino dare necesse habuit, restituere obligatus est. l. 27. ff. d. Edil. Edict. l. 18. §. ult. d. liber. caus. l. 39. §. ult. ff. d. Minor. Andr. Tiraquell. d. Retract. §. 6. Moll.**

Moll. lib. 4. semestr. 4. num 5. Andr. Gail. L. 2. Obs. 3. num. 8. Matth. Berlich. p. 2. conclus 41. num. 33. & seq. Id quod dict. Tiraquell. eò extendit, ut licet emptori laudemium à domino donatum vel remissum fuerit, hoc nihilo minus à retrahente peti possit, cum nemo ex alterius beneficio sibi quid commodi quærere queat, id quod & placuit Berlich. d. l. & secundum hanc sententiam etiam fuit responsum à Lips. in causa Simon Rodigers zu Lützen.

TH. XVII.

Ceterum, quod supra dictum, ex venditione laudemium esse solvendum, extendendum est, etiam si fiat sub pacto de retrovendendo venditio. Quamvis enim nonnulli in hac sint opinione, quod ista venditio non planè pura & irrevocabilis sit, sed sub conditione revenditionis, quæ revenditio sit restitutio ex priori orta, ita ut fundus priori venditori magis reddatur, quam ut ei de novo acquiratur; quare tradunt regulam, quòd laudemium tunc non debeatur, quando resolutio contractus sit ex causa prioris contractus, ad restitutionem obligantis. *arg. l. 33. C. d. Transact.* Attamen contraria opinio, sicuti magis communis, ita veritati juris magis consentanea esse videtur. Moventur, qui eam sequuntur, præprimis, quòd, ubicunq; alienatio necessitatur ex contractu voluntario ibi laudemii præstatio sit necessaria: *Hartm. Pist. d. l. n. 25. & 26.* idque minus dubii habet in territoriis Elect. Sax. propter Constit. tit. vom Lehnwahr (quæ est prima inter eas, quæ certis de causis publicè editæ non fuere) in verb. wo ein Gut auf ein Erb der Wiederkauff verkaufft wird/ so ist der Käufer wegen der recognition, und daß er vom Herren in den Schuz genommen die Lehnwahr zu entrichten schuldig. *Magnif. Dn. Struv. Decis. Sabbath. 28. Carpz. p. 2. C. 1. d. 23.* Nec obst. quod hoc casu dominium rei non sit irrevocabiliter translatum & va-

fallus

fallus potius commoditatem quam ipsum Jus feudi vendidisse videatur. *Bald. Conf. ris. col. 2. vol. 2.* Hac enim venditio revera à principio pura est, atque perfecta & sine conditione; adeoque dominium & possessionem rei in emptorem, non obstante quod sit resolubilis, transfert, cujus translationis intuitu, laudemium pro investitura omnino debetur. *Dan. Moll. d. l. Hartm. Pistor. d. l. qu. 37. n. 3. Frantzk. c. 16. num. 28.*

TH. XIX.

Hinc quæritur: An etiam propter retrovenditionem re-emptor teneatur denuò solvere laudemium. Et respond. negando: quamvis enim venditio pura & perfecta sit, per pactum tamen adjectum, in quod dominus consensit, placuit rem quasi ad priorem statum aliquandò reducendam ita, ut res venditori, ac pretium emptori restituatur. *Magnif. Dn. Struv. Decis. Sabbath. 28. Carpzov. p. 2. C. 1. d. 23.* & sic etiam fuit Senatui zu Schmölen responsum. Weil die Güter vor sechs Jahren bey dem angetreten Wiederkauff von P. K. in Lehn genommen das Lehngeld bezahlt / und daß P. K. den Wiederkauff vorbehalten / ist ermeldter P. K. einiges Lehngeldt zu geben nicht schuldig. Dissentit B. Georg. *Frantzk. tr. d. Laud. c. 16. num. 38.* ibique relati. Si vero facultas redimendi ulteriori aliquo pretio dato remittatur, ratione hujus supplementi novum quoque debetur laudemium. *Frantzk. d. l. n. 53.*

TH. XIX.

Porro circa hanc materiam disquiritur: An revendenti id, quod laudemii nomine ex prima venditione Domino solvit, à reemptore debet restitui? De hac quæstione non omnium una est sententia. *Bened. Carpzov. p. 2. C. 1. d. 24.* & qui à parte ejus stant & ante cum *Dan. Moll. lib. 4. Simestr. cap. 4.* affirmativam defendunt

emptioni l. 1. & 2. ff. d. rer. permut. l. fin. ex quib. caus.
in poss. eat. & quasi eusdem species esse putatur: d. l. 2. &
l. 2. C. eod. l. 1. pr. ff. d. contrab. empt. l. 19. §. 3. d. Edil.
Edict. Amed. d. Pont. q. 28. Col. d. 33. num. 13. 14. & 15. &
qui rem permutat emptori sit similis. l. ult. quibus ex caus.
in possess. eat. Quod adeò percedit, ut etiam uterque per-
mutantium quilibet suo directo domino laudemium
præstare sit obstrictus: prout respons. in Scab. Jenens.
ad requis. Georgii Hutten zu Richeimen ad requisit.
Quæstor. zu Cranichfeldt. Ratio exinde promanat, cum
utrobique utrique dominorum onus novum possesso-
rè recipiendi incumbat, adeoq; non in iniquè Laudemi-
um utrinque præstandum veniat. Hartm. Pistor. d. l. n. 29.
Dan. Moll. lib. 4. Semestr. cap. 3. num. 4. Col. d. 33. num. 22.
hinc talis pronunciandi formula, daß ein ieder contra-
hent und permutant seines Gutes Lehnherrn die Lehn-
wahr zu entrichten verpflichtet. Nec refert, ut ma-
ximè uterque fundus permutatus ad unum dominum
directum spectet, nam adhuc duplex laudemium præ-
statur. Carol. Molin. ad Consuetud. Paris. tit. 1. §. 22. n. 79.
Nec movet quæ à dissentientibus adfertur ratio, (vid.
Guid. Pap. decis. 92. in pr.) in permutatione laudemium
ideò non esse solvendum, quòd in illa regulariter nulla
interveniat pecunia, & d. l. fin. saepe all. saltem de ea alie-
natione loquatur, quæ fit per venditionem, & ubi pretium
intervenit, de quo etiam tradit Jacob. Schultz. in addit ad
Modest. Pistor. q. 67. n. 16. adesse Constit. Sax. typis publi-
eis non commissam, cui tit. vom Lehnwahr / §. also auch
quæ in permutatione Emphyteut. eatenus saltem laude-
mium exigere permittat, quatenus aliquid pretii addita-
menti loco accessit, sin vero nuda fundi cum fundo fiat
permutatio, nullam & inanem esse laudemii petitionem,
in

in verb. wo auch die Güter durch permutation und
Umwchselung verwandelt / so gebühret den Herrn
keine Lehnwahr von dem Besitzer zu fordern. Conf.
Carpz. p. 2. C. 39. d. 15. & pro stabilienda hac sententia dant
rationem; quia in permutatione non opus sit consensu
domini. Verum Rf. laudemium non solum de pretio sed rei
æstimatione quoq; deberi. d. l. fin. vers. ne avaritia, ubi nõ
tãm pretii, quàm etiam æstimationis mêtio fit, unde satis
superq; colligitur, non solum in venditione, sed etiam in
aliis contractuum & alienationum speciebus laudemium
sibi vindicare locum: Hartm. Pistor. l. 1. qu. 50. num. 28.
Col. d. l. num. 8. dicit, hoc svadere particulam disjuncti-
vam VEL. in d. l. fin. adjectam, quæ sua natura importet
rerum diversitatem, inter quas ponitur. l. 124. ff. d. V. S.
cum quibus consentit B. Dn: Richt. decis. 83. n. 101. Secus es-
set in iis territoriis ubi expressè Statuto vel lege provin-
ciali aliud est constitutum, vel ex observantia aut con-
svetudine contrarium est introductum. Conf. laud. Carpz.
d. def. 15. num. 8.

TH. XXI.

In specie nunc agendum de iis, qui ex testamento
succedunt, an ad Laudemii solutionem sint obligati?
Et præprimis observandum, aut in testamento ille hæres
institutus, qui alias etiam ab intestato, & sic ex legitima
successione, erat successurus, præprimis autem si non est
extranea persona, quo casu cessat laudemii præstatio: aut
non erat successurus, & tunc ea ipsa debetur: Hinc
patet quod liberi parentibus ex testamento succeden-
tes haud teneantur ad præstationem Laudemii, quia
intelliguntur esse domini bonorum paternorum, etiam
vivo adhuc parente. *l. 11. ff. d. liber. & posthum. §. sui au-*
tem. Inst. d. hered. qualit. & diff. ejusque personam repræ-
sentant.

sentant. *l. fin. C. d. impub. & al. subfit.* Hinc etiam in investitura parentum censentur comprehensi, & propterea sunt immunes. *Hartm. Pistor. l. 1. q. 50. num. 59. Col. p. 1. Decis. 33. num. 25. Frantzk. c. 8. num. 28. Amed. a Ponte. q. 10. in fin. ubi dicit, quod non omnis emphyteuta novus indistinctè debeat solvere laudemium, sed quoties res mutat manum. Conf. Magnific. Dn. Struv. S.I.F. c. 10. §. 13. num. 1.* Et hoc in Sax. Elect. apertis verbis est dispositum in d. Const. von der Lehnwahr §. desgleichen / ibi: wann der Besitzer Zins oder Erbmann stirbt und läst Kinder so sind dieselbe Lehnwahr zu geben nicht schuldig / weil sie in der vorigen investitur begriffen. *Carpz. J.pr. For. P. 2. C. 30. d. 21. B. Dn. Richt. decis. 83. num. 130.*

TH. XXII.

Multis tamen in locis vel speciali lege & statuto, vel etiam consuetudine introductum, ut liberi quoq; solvere teneantur laudemium, quod vocatur Sterb-Lehnwahr: *Carpzov. Respons. 88. l. 1. tit. 9. num. 7.* talem consuetudinem esse validam testantur *Wesenb. Conf. 16. num. 2. Frantzk. d. l. n. 114.* id quod etiam innuit d. Constit. verb. jedoch daß in solchen Fällen die Gewonheit sonderlich in achtung gehabt und nach derselben gesprochen werde. *Carpzov. P. 2. C. 39. d. 22.*

TH. XXIII.

Quæritur hic: Si consuetudine vel statuto alicujus loci introductum sit, ut etiam hæredes ratione successionis laudemium debeant solvere, ac post patris mortem liberi simul illud solverint, & postea in divisione fundus aliquis perveniat ad unum ex illis, an justè speciale laudemium, ratione hujus fundi, petatur? Quod negamus, quia emphyteuta non fuit mutatus, sed inter illos ipsos

iplos cohæredes fuit ratione ejusdem quoque rei, quippe in universa hæreditate existentis, cum præstitum est laudemium. *Coler. decis. 33. num. 43. Modest. Pistor. q. 37. Magnif. Dn. Struv. Decif. sabbath. 32. Carpzov. p. 2. C. 39. d. 23. & 30. Dissent. Hartm. Pistor. obs. 136. n. 37.*

TH. XXIV.

Quod autem de liberis ex testam. succedent. dictum, id etiam de ascendentibus jure correlativorum, imò & cõmuniter de collateratibus locum habere putant Dd. *arg. l. fin. C. d. ind. vid. toll. Richt. decis. 83. num. 135. Magnif. Dn. Struv. S. I. F. cap. 10. §. 13. num. 3.* ubi dicit renovationem quidem esse petendam, sed regulariter nullum laudemium solvendum. Contrarium tamen in Electoratu Saxon. obtinet, ob expressam Constitution. von der Lehnwahr verb. So aber keine Kinder sondern Freunde seitwärts verwandt als collater. und extranei vorhanden / auf welche das Guth verfallen / die weil das dominium in dieselbe ipso jure nicht continuiert noch gebracht wird / so sind sie die Lehnwahr zu geben pflichtig. *Conf. B. Richt. L. 2. dec. 83. num. 136.* Et licet prædicta verba de collateralibus extraneis tantum loquantur; quin tamen ad hæredes quoque ascendentes, patrem, matrem, avum, aviam &c. extendi possint, non esse dubium, putat *Carpzov. p. 2. C. 30. d. 20. num. penult. & ult.* idque ex identitate rationis adpositæ, cum nec in ascendentibus dominium ipso jure transferatur. *Conf. Matth. Coler. d. decis. 33. n. 24. 25.*

TH. XXV.

Liberi à communione ad divisionem progredientes & fundos Emphyteuticos inter sese dividentes, non sunt obstricti domino directo ad præstationem laudemii: *Andr. Knich. d. pact. vest. L. 2. c. 4. num. 160.* ubi hanc adjicit rationem, quia divisio est alienatio necessaria, ex

C 3

qua

qua laudemii præstandi necessitas non causatur. *Hartm. Pistor. q. 50. num. 55. Coler. decis. 33. num. 33.* & pro hoc asserto facit alia ratio, quòd per divisionem non acquiritur novum dominium dividendum, sed id quod ante coheredum pro indiviso erat, pro virilibus portionibus inter eos distribuitur: *Amed. d. Pont. qu. 25.* illud enim quod mihi cum alio adhuc commune est, stante communiione est & dicitur meum. *l. 46. ff. d. rit. nupt. l. 2. ff. d. Condit. institut. § l. 25. ff. d. V. S.* facit, quod divisio alienatio revera non sit, pro qua sola laudemia deberi certum est, *l. fin. C. d. Fur. Emph.* sed tantum partium quædam distributio. *Carpzov. p. 2. C. 39. d. 23.* Et id quoque confirmant verba in sæpè alleg. *Constit. Saxon.* ibi: *Ausserhalb dieser Fälle sind die neuen Besitzer regulariter Lehn-Geld zu geben nicht schuldig / jedoch müssen sie den Lehnherren recognosciren / und dem Schreiber sein gewöhnlich Schreibgeld erlegen / als nemlich wo ein Gut getheilet wird / und ein jedes sein zugefallen Theil besitzt.*

TH. XXVI.

Quæ prædicta tamen fallunt, quando scilicet unus liberorum partem reliquorum emat & ita totum retineat, æstimatione condignâ reliquis præstitâ *Modest. Pist. d. q. 37. n. 5.* tunc enim ad laudemii solutionem erit obligatus, secundum magis communem DD. opinionem. *Hartm. Pistor. q. 50. num. 56. Coler. decis. 33. num. 35. Richter vol. 2. Consil. 273. num. 3.* quæ opinio etiam confirmari videtur per d. *Constit. Sax.* cum vicem emptionis obtineat, *arg. l. 1. C. comm. utriusque judic. Carpz. d. C. 39. def. 25. Magnif. Dn. Struv. Decis. Sabbath. 34.* quàmvis dissentiat *Franzk. d. tr. c. 8. num. 59. & seqq.* Hic tamen existimandum, intentionem & mentem agentium, an
ni-

nimirum à divisione hoc casu recedere velint an non,
ante omnia attendendam juxta *Hartm. Pistor. d. l. n. 57.*
& cum eo existimandum, quòd non statim laudemii præ-
standi necessitas causetur, licet plures filii in divisione
fundum emphyteuticum, uni ex fratribus assignave-
rint, quia ex causa necessaria, cum fundus commodam
divisionem non recipiat, ad hanc assignationem provo-
care coacti. Est enim hoc de natura divisionis, ut non
existentibus in communione mobilibus, unus heredum
totum fundum indivisum retineat, cæteris verò de pro-
pria sua pecunia satisfaciatur. §. 6. *Instit. d. off. Judic. Carol.*
Molin. ad Consuet. Paris. d. §. 22. num. 74. Accedit & hoc,
quod inter eos fratres habeat locum Jus accrescendi, ita,
ut reliquis refutantibus vel præmortuis totus fundus ad
unum ipso jure pertineat: In illis verò casibus ubi lo-
cus est juri accrescendi, laudemium nullum ex divisione
debetur, juxta regul. traditam à *Decian. Conf. 73. vol. 2.*
Grat. desceptat. For. c. 36. n. 5.

TH. XXVII.

Multo magis obstrictus erit hæres ad præstationem lau-
demii, si post factam divisionem aliorum cohæredum
portiones emerit, cum facta divisione cohæres habeatur
pro extraneo: *Erantzke. c. 8. n. 56.* id quod non parum confir-
matur *Jur. Feud. Sax.* ubi etiam conjuncta manus per
divisionem rumpitur: per *Const. Elect. 45. p. 2. §. gleicher Be-
stalt.* adeoque illi qui per divisionem ea investitura exci-
dère, intra tempus constitutum, hoc est intra annum &
diem à morte vel domini vel vasalli, denuò renovatio-
nem petere tenentur: *Carp. p. 2. c. 45. d. 24. Raucbb. p. 2. q. 20.*
n. 33. Coler. decis. 56. num. 4. & si hoc omiserint, jus succe-
dendi non habent. *Lehn-Recht. c. 3. v. wenn sie sich aber.*

TH. XXIX.



TH. XXIX.

Haectenus de onerosis, sequitur nunc titulus lucrati-
 tivus, qualis DONATIONIS est, de qua quaeritur: an in
 illa praestatio Laudemii obtineat. Sunt nonnulli qui Lau-
 demium non nisi in Emptione venditione obtinere pu-
 rant: Sed contrarium *ex l ult C. de Jur. Emphyt.* luculenter
 apparet. vid. *Hartm. Pistor. p. 1. q. 50.* Minus ergo dubium
 erit, ad exsolutionem Laudemii teneri possessorem, qui
 ex titulo vel causa lucrativa fundum tenet, ut sunt do-
 natarii. Nam eadem hic subest ratio, quae est in emptione,
 cum & hic dominus novum accipiat possessorem. *Coler.*
Decis. 33. num. 10. & seqq Hartm. Pistor. p. 1. q. 50. num. 31.
 vid. haec solidè & latissimè tractantem *B. Franzk. d. tr.*
de Laudem. Cap. 20. Idque per omnia placuit Serenissimo
 Saxoniae Electori in allegata Constit. verb. *Solche Leh-*
wahr ist auch ieder der nicht durch einen Kauff / son-
dern ex tit: lucrativo das Guth erlanget / als so es ihne
geschencket / oder in einem Testament vermacht wird /
zu erlegen pflichtig.

TH. XXIX.

Quae praedicta tamen notabiliter limitantur, si pater
 liberis emphyteusin donet, per ea quae tradit *Rosenthal.*
d. Feud. c. 6. conclus. 66. num. 8. Lit. F. ex hac ratione, quia
 haec acquisitio non videtur esse nova ex parte donatarii,
 sed potius debitae successionis praecipua perceptio.
arg. l. in suis. 11. ff. d. liber. & posthum. l. 1. §. largitus. ff. d.
success. edict. junct. l. scripto. 7. §. 1. ff. Unde Liber. adeoque
 liberi respectu hujus donationis pro extraneis non sunt
 habendi, cum & aliàs, si pater filio stipuletur, idque ob
 merita ejus se facere asserat, magis filiationem, quam
 merita respexisse videatur, atque sic filio tanquam filio,
 non tanquam extraneo seu benè merito stipulatum fuis-
 se

se Doctores velint. Vid. *Tiraquell. ad l. si unquam. 8. C. d. revoc. donat. verb. donatione largitus. num. 73. Carpzov. p. 2. C. 39. D. 27. num. 4. & seqq.* modò aliud ex contractu inter patrem & filium haud constet & appareat. *Carpzov. d. l. num. 4. vers. quæ donatio.*

TH. XXX.

Haftenus de voluntaria, sequitur in ordine necessaria alienatio, utpote Dotis datio, quæ est, si nomine filia pater sponso rem immobilem Emphyteuticam in dotem dat. Et pro hac non debetur Laudemium. *Amed. de Pont. q. 29. Molina d. contract. disput. 461. n. 9. & 10.* Quamvis enim *Ant. Fab. Decad. 99. Error. pragm. c. 1. & seqq.* contrarium asserere conetur, ex ea ratione, quòd datio in dotem vera sit alienatio, quia dotis causa perpetua est, atque cum voto ejus, qui dat, ita contrahitur, ut semper apud maritum maneat: *l. 1. ff. d. Jur. dot.* attamen hanc alienationem reverà esse necessariam vix negari poterit, utpote cum pater filiam ex dispositione legis dotare sit obstrictus, *l. etiamsi. 19. ff. d. Rit. Nupt. l. fin. C. d. dot. promiss. l. 6. ff. d. Collat. Anton. Gviber. de Dotib. c. 3. Paul. Cypræus d. sponsal. c. 6. §. 2. num. 7.* imò sit debitum naturæ: Non obstante quod *Menchaca, de success. creat. §. 20. num. 301.* contrarium defendat, dicatque esse Juris positivi, vid. *Cavallos. comm. opin. contr. comm. q. 112.* & succedat in locum legitimæ, veniatque in bonorum collationem. Iniquum ergò esset ut propterea Laudemium exigatur: *Hartm. Pistor. d. q. num. 54. Thes. Decis. 139. num. 2.* Ea enim vera dicitur causa necessaria, quæ ex dispositione legis aut statuti oritur, ad hoc, ut Laudemii solutio non admittatur. Deinde publicè interest, mulieres nubere, illisque dotes constitui, quò commodè maritos invenire possint. *l. 2. ff. d. Jur. Dot.* Id quod

D

etiam

etiam extenditur, sive pater prater bona Emphyteut. alia habeat, sive non: quod certè in terris Elect. Sax. minus dubium habet propter sapè alleg. publicè non editam Constit: Von der Lehnwahr. s. also auch wo ein Vater seiner Tochter die er aussteuret/ein Guth mit gibt/ist Sie oder Ihr Mann/Lehngeld zugeben nicht schuldig/und wiewohl dieses egliche limitiren / wann der Vater sonst andere Güter gehabt / dar von Er die Tochter aussteuren könnte/dz dißfals die Lehnwahr zu geben sey/(quæ est Jason. sententia;) so sind doch unsere verordnete im obgedachter Ursach willen einig/ daß es denen Rechten gemäß und billicher sey/dißfals indistinctè keine Lehnwahr zu nehmen. Vid. *Carpzov. p. 2. C. 39. d. 18. n. 6. & in eandem sententiam inclinantes videri possunt Berlich. P. 3. Concl. 52. num. 63. Card. Tusch. Tom. 4. concl. lit. G. concl. 5. num. 19. Franzk. d. l. & alii pl. abhis relati.*

TH. XXXI.

Hæc de mutatione & alienatione ex parte Vasalli, Emphyteutæ, Censuariive dicta sufficient, restat nunc, ut de ea, quæ ex persona domini contingit, quædam apponantur. Comm. autem est Dd. opinio, quod dominus ejusve heredibus nullum solvi debeat Laudemium, si respectu eorum mutatio vel per successionem vel per contractum vel alio modo contingit. *Hartm. Pistor. d. 9. num. 60. Coler. d. D. 33. num. 6.* quæ opinio etiam in Elect. Sax. confirmata per d. Constit. vers. wann der Lehnherr stirbt oder das Guth verendert/ oder seine Kinder sich theilen/ so soll keine Lehnwahr gefordert oder gegeben werden, ratio autem ea est, quia textus in *l. fin. C. d. Jur. Emphyt.* ex quo originariè Laudemia proveniunt, de novo saltem emphyteuseos possessore loquitur.

tur. Dein laudemium ob novi vasalli investituram & receptionem solvitur. *Jason. in l. fin. C. d. Jur. Emphyt.* Domino autem mutato non recipitur novus vasallus, nec per hanc mutationem possessio emphyteutæ invertitur, meritò itaque solutio Laudemii cessabit, & tenebitur hoc casu novus dominus ipsi renovare investituram regulariter sine nova laudemii præstatione *B. Dn. Richter p. 3. Conf. 1. num. 5. & 8. Hartm. Pistor. d. l. n. 50.* Pro quo etiam facit, quod mutatio ex parte domini sine facto possessoris contingat, si enim possessor gravatur laudemio, tunc alter alterius conditionem, præter ipsius voluntatem faceret deteriore, suam vero meliorem, contra principia juris. *vid. l. 74. ff. cod. l. 39. ff. d. negot. gest. Hartm. Pistor. d. q. n. 60.*

TH. XXXII.

Quod adeò procedit, ut licet literis investituræ vel consuetudine vel statuto cautum sit, laudemium esse solvendum quotiescunque manus feudi sit mutata, hoc tamen in dubio saltem intelligendum de manu mutata serviente, non verò dominante. *Magnif. Dn. Struv. S. I. F. §. 10. §. 13. num. 2. & id. Decis. Sabbath. 33.*

TH. XXXIII.

Vera autem hæc sunt & procedunt, nisi per legitimam præscriptionem & specialiori consuetudine aliud sint introductum. *Coler. d. l. num. 38. Modest. Pistor. q. 37. p. 1. num. 10. & seq. Frantzk. d. tr. c. 4. num. 28.* quæ tamen consuetudo strictè intelligenda, & de casu quo usu receptum domino mortuo solvi Laudemium, ad casum quo alia ratione mutatur dominus, non extendenda. *vid. Magnif. Dn. Struv. S. I. F. d. l. §. 14.* quide hac mutatione planè singularem annotavit casum. Quomodo autem hæc consuetudo possit probari: *vid. Dn. Frantzk.*

c. 4. num. 19. *Magnif. Dn. Struv. d. l. §. 16.* Multiſ tamen in locis hoc caſu pro confectione literarum inveſtituræ exigi ſolet honorarium, quod tamen à laudemio propriè accepto differt. *Ordin. ptovinc. win. tit. 24.* Wenn die Lehn-Herren ſterben, add. quæ ſupr. *tb. 6.* diximus.

TH. XXXIV.

Cùm autem parum ſit ſcire Jus, quod nobis competit, niſi etiam ſciamus rationem & viam Juris noſtri tuendi conſervandique, aut perſequendi, poſitum in actionibus aliisque jurium remediis: *Klock. d. Contribut. c. 19. num 2.* ideò ordo requirit, ut de actionibus Dominis Laudemialibus competentibus & modis exigendi laudemia conſvetis, pro ratione inſtituti noſtri pauca quædam dicamus.

TH. XXXV.

Variæ autem ad conſtitutum laudemium conſequendum adinventæ ſunt nobis actiones atque remedia, de quibus inter DD. non omnium una eſt ſententia atque opinio. Non pauci actionem hypothecariam domino tribuere, inter quos eſt *Amed. d. Pont. q. 35.* Nonnullis placet & arridet Rei vindicatio: Aliqui pro laudemio exigendo domino tribuunt actionem perſonalem: Quidam conditionem ob cauſam, factæ ſc. inveſtituræ, competere arbitrati. Sed rectius (ſalva tamen reliquorum authoritate) cum *Magnif. Dn. Struv. S. I. F. c. 10. §. fin.* facimus, aſſerente, quòd in Emphyt. laudemium peti poſſit actione ex contractu emphyteutico, quia ſpectat ad recognitionem domini directi, quæ iſto contractu ab Emphyteuta, qui recipitur, promittitur.

TH. XXXVII.

Hæc de actionibus, à parte domini concedentis. A parte accipientis autem notamus, quòd qui vult inſtituere iudicium

dicium quod laudemium vel non, vel non ultra solitam
quantitatem solvere sit obstrictus, possit id facere per
provocationem ex *L. diffamari. C. d. Ingen. manumiss.* cum
de Jure communi beneficium *d. l. locum* sumat in omni
genere causarum civilium & criminalium. *Bocer. decis.*
255. n. 7. ubi addit, remedium *l. predict.* non solum proce-
deret in actionibus personalibus, sed etiam in realibus.
Conf. Roman. Conf. 53. Deinde utilis actio negatoria
institui poterit, utpote quæ non solum pro servitutibus,
sed & pro omnibus juribus incorporalibus denegandis
ex communi *Dd.* sententia competit, ut videre licet
apud *Jason. ad l. 15. ff. d. N. O. N.* hâc enim actione institutâ
petitur pronunciari, Domino Jus non competere exigen-
di Laudemium. Porrò Emphyteutæ actionem Emphy-
teuticariam utilem, nec non vasallo utilem actionem
feudalem dari adversus dominum, patet ex *§. 1 ff. si ager
vect. pet.* Potest etiam uti interdicto uti possidetis, quod
remedium possessorium est, & petitorio præponendum
l. 15. qui destinarit. ff. d. R. V.

TH. XXXVIII.

Judicium denique quod attinet, coram quo laude-
mium venit petendum, sequimur Jus commune, ita ut
si de re aliqua controversia sit & agatur in rem, contra
debentem, forum quis sortitur ibi, ubi res illa sita est *l.*
ult. C. ubi in rem. l. 38. ff. d. Judic. nec refert, qualis res sit:
Cum enim quis pluribus in locis bona seu fortunas suas
habere possit, *l. assumptio l. §. pen. C. ubi de poss. agi oport.*
sequitur, ut etiam ratione istorum bonorum per in rem
actionem ibi conveniri possit, uti patet ex *l. pen. §. ult.*
C. ubi in rem act. exerc. deb. Si vero actio intentata persona-
lis, actor debet domicilium rei sequi, per regulam *l. Juris
ordinem: 2. C. d. Jurisdic. omn. jud.* Hæc in præsentem,
quantum

quantum per breve temporis spatium fieri licuit, de
Laudemiis colligere & examini Disputantium subicere
decevi, non quidem pro materiae gravitate ac dignita-
te, sed ingenii mei macie. Quicquid igitur hujus sit, B.
L. candidæ censuræ modestè summitto
interim.

Sit soli summo, gloria summa
D E O.

COROLLARIA.

I. An consuetudines Feudales, utpote in scri-
pturam redactæ, sint Jus scriptum? N.

II. Hinc quæritur, an scriptura sit de essentia
Legis? Distingu.

III. Num Judex secundum acta & probata,
an vero secundum conscientiam judicare debe-
at? affirm. poster.

IV. An naturales legitimated per subsequens
matrimonium una cum liberis legitimis Jure
Feudali succedant? Aff.

V. An obligatio oriatur ex delicto? Aff.

VI. Num

VI. Num in erogatione poenarum, respec-
tus personarum sit habendus? Distingu.

VII. Scholaris quandò loquitur cum virgi-
ne, licet non præsumatur ei dicere Pater noster:
num tamen ex eo, quod solus cum sola inven-
tus fuerit in loco secreto, carnaliter hos sese com-
miscuisse sequatur? N.



VI. In die...
VII. Scholasticus...
VIII. Scholasticus...
IX. Scholasticus...



Leica, Diss., 1679 M-Z

ULB Halle


3


005 360 82X



1517







1679, 26 a 4
14 JL

SUMMO. NUMINE. ADJUVANTE.

ET.
ILLUSTRI. ICTORUM. ORDINE. IN. CELE.
BERRIMA. UNIVERSITATE. SALANA.
SUFFRAGANTE.

DISSERTATIONEM. HANC. INAUGURALEM.
JURIDICAM.

DE
LAUDEMIIS.

PRÆSIDE.

DN. HENRICO. BALTHAS.

ICTO. CONSILIARIO.

SAXONICO. ET. SWARTZBURGICO. CURIÆ.

PROVINCIALIS. SCABINATUS. AC. FACULTATIS.
JURIDICÆ. ASSESSORE. AC. PROF. PUBL.
FAMIGERATISSIMO.

DN. PATRONO. ET. PROMOTORE.
SUO. COLENDISSIMO.

PRO. LICENTIA.

SUMMOS. IN. UTROQUE. JURE. HONORES.

AC. PRIVILEGIA. DOCTORALIA. RITE. ET. LEGITIME.
CONSEQVENDI. PUBLICÆ. EXAMINAN-
DAM. PROPONIT.

JOHANNES. NICOLAUS. HOYER.

LONGO-SALISSANUS.

AD. D. DECEMBR. AO. clb. Isc. LXXIX.

JENÆ, Typis JOHANNIS WERTHERI.